



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Stirpis Aniciae, Stemma Sextum. Avstrivm. §. xiiij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

Hobemburgensis ad Nicrum filia, quæ cum ei tredecim filios peperisset, obiit anno Domini 1281. duodecimo Cal. Octobris, & Basileæ in summo Templo sepulta est. Secunda fuit Elisabetha, siue Agnes, Othonis Ducis Burgundie filia, ducta anno 1284. cum esset annorum quatuordecim tantum, ex qua prolem non suscepit.

Ab hoc Rodulpho & deinceps, prolixitate vitanda, quod ab eo adusque Philippum, & Rodulphum, secundos, familia Habsburgica Austriaca, fusissimè in omnium manibus versetur; Stemmatibus Austriaci propagatores breuiter tantum dabimus, reliquos utriusque sexus nominatenus in Arbore Aniciana generali daturi.


## STIRPIS ANICIAE,

Stemma Sextum.

A V S T R I V M.

§. xiiij.

Gradus I. Anicianus XXXVIII.



Albertus Habsburgus, Rodulphi Imperatoris filius, à genitore alteris ad Augustam Vindelicorum Comitiss, in frequenti Principum corona, cum Ducatu Styria, atq; Carniola ATSTRIAE EXARCHATVM, uxoris Elisabethæ, Menardi Comitis Tyrolis

rolis filie intuitu, consequutus, HABSBERGIVM  
nomen, in AVSTRIVM, ab eius dominatu, transmuta-  
uit, quod usque ad hæc nostra tempora felicissimum sem-  
per, gloriosissimum, & victoriosissimum, in eius familia,  
& posteris permansit. Electorum suffragijs contra Adol-  
phum Imp. Cæsar designatus, eodemq; in agro Vuorma-  
tienti cruento prelio cæso, vigesimo sexto ab hinc die, sexto  
Calen. Augusti, an. 1298. Francofurti denuo inauguratus,  
& inunctus est. Cognomentum victoriosi tulit, & tan-  
dem nefarie à Ioanne ex fratre nepote iugulatus est 8.  
Cal. Maij, an. 1308. cum imperasset à prima electione an.  
10. duobus demptis mensibus. Sepultus est in monasterio  
Regio campi ordinis Franciscanorum, quod in eodem loco  
in quo occisus est splèdido apparatu construi fecit uxor eius  
Elisabeth; quæ ibidem, post eius mortem, sanctissimam vi-  
tam Monasticam egit, obiitq; an. 1314. sexennio post viri  
mortem, ex cuius amplexibus, unum, & viginti liberos  
susceperat, quorum omnium Albertus stemma propagavit.

Hic Albertus I. Imperator; antequam Imperium  
adeptus esset, à patre Imperatore, & Imperio concessa no-  
ua usurpavit insignia: sectionem videlicet, siue fasciam  
argenteam, in rubro. Hoc autem insigne tribuitur à La-  
zio lib. 3. comment. cap. ij. Lupoldo VII. Marchioni Au-  
strie, quem ipse non rectè quintum appellat, qui Grazij  
in Stiria obiit anno 1193. addens & de stemmatis origi-  
ne causam, videlicet quod in expugnatione Ptolemaidis,  
adeo totus suffusus sanguine fuerit, cingulotenus dunta-

xat

xat (quod album corpus interfecabat) à cruore immunis,  
ut ob eius rei euentum, ad perpetuam memoriam, hoc ip-  
se sibi insigne, & posteris suis omnibus promeruerit. Sed  
hæc eius sunt commentitia, cum de hoc stemmate à Leo-  
poldo excogitato nihil in historicis, & genealogicis lega-  
tur, præterquam in nonnullis suis sequacibus, qui hoc fa-  
ctum Leopoldo VII. tribuunt, contra aliorum historico-  
rum fidem, uno consensu asserentium, Alberto eius nomi-  
nis primo, hoc stemma, à patre Rodulpho Imp. concessum,  
& non Leopoldo, hoc ideo quod in bello contra Ottocarum  
Boemæ Regem gesto, totus ipse sanguine maduerit, ut  
rei monumentum Vienna, inter domus Austriacæ pictu-  
ras, etiamnum edocet. At hæc licet aliquo veritatis colo-  
re vestiri videantur, magis tamen ego illis acquiesco, qui  
dicunt Albertum hoc nouum Austriacæ domus stemma  
excogitasse, duplici ex causa, cum ne Perleonia Auo-  
rum domus memoria interiret: tum etiam ut Frangi-  
paniæ familiæ priscum caritatis monumentum renoua-  
retur: ad illam namque conseruandam, (sicut proauus  
eius Petrus, primus Habsburgi Comes, Leonem Perleo-  
nium, diuersum tamen in coloribus, sibi retinuerat: fasciis  
rubris, & argenteis omnino relictis) fasciam unam  
argenteam in rubro, sibi & posteris reseruauit: quæ &  
ad istam renouandam seruiens, fractionis panum (unde  
familiæ Frangipaniæ nomen) per albam sectionem,  
quæ rubrum scutum diuidit, typum, posteris represen-  
tari voluit.

Gradus II. Anicianus XXXIX.

*Albertus I. Archidux Austria, Comes Habsburgius, vulgò Sapiens, & Contractus cognominatus, Alberti I. Imp. filius, uxorem duxit Ioannam, Vlrici Phytetarum Ultimi Comitis filiam, ex qua sex liberos genuit, Leopoldo stemma propagante. Obiit anno 1358. die 13. Cal. Augusti. & Gemmicii ad Cartusianos, quos ipse condiderat, sepultus est.*

Gradus III. Anicianus XL.

*Leopoldus, cognomento Probus, & militia decus, Alberti II. filius, Archidux Austria, ducta Viride Barnabonis Mediolanensium Ducis filia, ex ea multa prole auctus est, eorumque Ernestus stemmatis propagator exstitit. Tandem ad Sempachum magna strage suorum victus, fortiter pugnans cecidit, 7. Id. Quintiles, 1386. & Regiocampi sepultus est.*

Gradus IIII. Anicianus XLI.

*Ernestus Archidux Austria, à corporis robore Ferreus cognominatus, Leopoldi filius, uxores duas habuit primam Margaretam filiam Bugslai Pomerania Ducis, que sine liberis mortua est: Secundam Zinburgam, siue Cunbarcam, Ziemouiti Ducis Mosania filiam, que ei decem liberos peperit, & inter eos sextum Fridericum*

*cum*

*cum stemmatis propagatorem . Obiit anno 1435. & sepultus est in cœnobio Rhayn .*

**Gradus V. Anicianus LXII.**

*Fridericus Archidux Austria, Ernesti filius, natus anno Domini 1415. die 11. Cal. Octobris; Francofurti Rex Romanorum appellatus, Calendis Ianuarij anno 1440. coronatus est Aquisgrani 8. Idus Ianuarij; & Romæ Rex Lōbardia, & Imp. Fridericus III. dictus est: una cum uxore sua Leonora Eduardi, Regis Portugallia filia, à Nicolao Papa V. 16. Calend. Aprilis, anno 1451. Imperavit & regnavit annos 53. Menses 4. dies 20. Vixit annos 78. paulò minus, & plenus dierum obiit anno 1493. die 14. Cal. Septembris, in Templo S. Stephani sepultus. Filij eius feruntur quinque, & omnibus ferè in pueritia extinctis, solus Maximilianus stemmatis propagator relictus est.*

**Gradus VI. Anicianus XLIII.**

*Maximilianus Archidux Austria, Friderici III. Imp. filius, natus Neapoli, anno 1459. die 12. Calend. Aprilis, Rex Romanorum, procurante patre, Aquisgrani creatus est 14. Cal. Martij, anno 1486. & ibidem coronatus ab Archiepiscopo Colonienfi 4. Idus, Aprilis; regnavit annos 22. Menses 10. dies 28. Vixit annos 59. Menses 9. dies 23. Obijt apud Vuelsam superioris*

ris Austriae oppidum, pridie Idus Ianuarij, anno 1519.  
& sepultus est Vienna cum patre. Fuit in eius connu-  
bio primum Maria Caroli Ducis Burgundiae filia, &  
complurium principatum haeres unica, quae inter ve-  
nandum equo excussa, eo casu extincta est 6. Nonas  
Martij, anno 1482. relictis liberis quatuor. Post hanc  
Anna, Francisci Britanniae Ducis filia ei desponsata fuit,  
sed non nupta. Deinde duxit Blancam Mariam, Ga-  
leatij Mariae Sfortiae Mediolanensium Ducis filiam,  
quae sine liberis mortua est.

Gradus VII. Anicianus XLIII.

Philippus Maximiliani filius, Archidux Austriae,  
Dux Burgundiae, Comes Flandriae, qui ab insigni bo-  
nitate, & alijs agnatis virtutibus, quae Principibus  
Austrijs ceu gentilitiae dotes sunt, quibus emicuit & elu-  
xit, Amor ac delictum generis humani, dictus est; acce-  
pta in uxorem Ioanna, Ferdinandi Catholici Hispaniae  
Regis secundogenita, eius ergo dotalitia Regna Hispaniae,  
Siculum item, & Neapolitanum, domui Austriacae  
acquisiuit. Ad quae possidenda ex Belgio crebris proce-  
rum litteris euocatus, morbo ex aeris illius insueti gra-  
uitate contracto; cito decessit 7. Cal. Octobris, an. 1506.  
etatis suae anno 28. & Granatae sepultus est, liberis sex  
relictis, quorum Stemmatibus propagatores fuerunt duo  
praecipui, Carolus & Ferdinandus.

Gra-

Gradus VIII. Anicianus XLV.

Carolus V. Philippi filius, Rex Hispania, & Archidux Austriae, natus Gandavi in Belgio, anno 1500. die 6. Calend. Martij, Festo S. Matthiae: Rex Romanorum Francofurti absens ab Septemviris appellatus est, quarto Calend. Iulij, anno 1519. Coronatus Aquisgrani anno sequenti, quarto Idus Nouembris: & item Bononia à Clemente Papa VII. in Templo S. Petronij, 6. Calend. Martij, die natali suo, anno 1530. Regnavit, & Imperavit annos 39. Vxor eius fuit Isabella, Emanuelis Regis Lusitaniae filia, quae Toleti in puerperio decessit quadragenaria, Calend. Maij, anno 1539. cum peperisset viro suo liberos quatuor. Carolus autem seipsum Ultro Imperio, & omnibus Regnis abdicans, in monasterium Vallis Toletanae in Hispania se abdidit, Deo vacaturus, anno 1556. in quo diem supremum clausit xi. Cal. Octobris, anno 1558. aetatis suae 58. & Granata cum uxore sepultus est, Philippo II. stemmatis propagatore relicto.

Ferdinandus, Philippi filius, Caroli V. frater; natus in Hispania anno 1503. Rex Romanorum appellatus est, procurante Carolo fratre, Nonis Ianuarii, anno 1531. & Caesar creatus est Francofurti, anno 1558. Imperavit solus annos sex. Fuit ei Vxor Anna, Ladislai Regis Boemiae, et Ungariae filia, quae postquam 14. liberos peperisset, obiit in puerperio 6. Cal. Februarij, anno

anno 1547. etatis sue 43. Ferdinandus autem iam etate  
te grauis, natura debitum persoluit 8. Cal. Augusti,  
etatis sue 61. & Vienna sepultus est, cui successit filius  
Maximilianus.

Gradus IX. Anicianus XLVI.

Philippus, huius nominis II. Caroli V. Imp. filius,  
Hispaniarum Rex potentissimus, & Catholicus, ac utrius-  
que Sicilia, Neapolis, Hierosolyma: Archidux Au-  
striae; Dux Burgundiae, Brabantiae, & Mediolani:  
Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, &c. Omnium  
Regnorum, & Prouinciarum Paternarum, ac Noui  
Orbis, heres & unicus; natus in Valle Toleti xij. Calen-  
das Iunii, Anno Domini 1527. hora 4. min. 15. post  
meridiem. Princeps multis bellis clarus, quae, vel  
ipset, vel per suos Duces, Albanum, Austriacum,  
Parmensem, & alios passim administravit in Gallia,  
Anglia, Belgio, & Lusitania: condidit Academiam  
Duacensem (quae Vrbs in gremio suo suscepit anno Do-  
mini 1554. die 15. Maij, post noctis medium) in Bel-  
gio, anno 1569. In eius uxore matrimonio primum  
Maria, Ioannis III. Regis Portugalliae filia, quae Ca-  
rolum peperit: Deinde Maria Angliae Regina, ducta  
anno 1554. 8. Calend. Augusti, quae sine liberis obiit.  
Tertia, Isabella Vallesia, Henrici II. Franciae Regis fi-  
lia, ex qua Isabella, & Catarina procreatae. Quarta,  
Anna, Maximiliani II. Imper. filia, quae defuncta est

anno 1580. die 8. Cal. Nouembris, eum peperisset liberos quinque, Ferdinandum, Iacobum, Carolus Laurentius, Mariam, & Philippum.

Maximilianus I. I. Ferdinandi Imp. filius, Archidux Austriae, & Rom. Rex, & Imp. Vngariae, & Boemia Rex, natus Viennae anno 1527. Calend. Augusti, patri in Imperio, ceterisque Regnis successit. Imperauit annos amplius duodecim. Tandem Ratisbonae fati concessit anno 1576. die 4. Idus Octobris, aetatis suae 49. & Lincij sepultus est. Uxor eius fuit Maria, Caroli V. Imp. filia, ex qua quindecim liberos procreauit, quorum Maximus, Rodolphus Imperator.

Gradus X. Anicianus XLVII.

Carolus, Cognomento Dentatus Philippi II. Hispaniarum Regis, ex prima uxore filius, natus in Valle Oletana Idus Iulij, anno 1545. in ipso aetatis flore extinctus est nono Calendas Augusti, anno 1568.

Isabella, Clara, Eugenia, Philippi II. ex Isabella Franca, cuius nomen ex eius memoria gessit, uxore tertia filia, nata in Segobia silua, an. 1566. die Sanctae Clarae xi. Augusti, ideoque Clara uocata; Eugenia uero ob deuotionem patris ad S. Eugenium, nouiter ex Parisijs ad Hispanias translatum, nunc uiuit Hispania infans.

*Catharina Franca Austria, Isabella ex eadem matre soror, nata x. Octobris Madridij anno 1567. Venere, baptizata 19. eiusdem Mensis, nupsit Carolo Emanueli Duci Sabaudie, anno 1586. cui aliquot filios peperit.*

*Ferdinandus Philippi I I. ex Anna Austriaca uxore quarta filius, natus 1571. pridie Nonas Decembris, infans extinctus est.*

*Iacobus, sive Didacus, Ferdinandi frater uterinus novennis obiit anno 1582. xi. Calend. Decembris.*

*Carolus Laurentius, eorum frater infans defunctus est.*

*Maria, earum soror, septennis obiit.*

*Philippus III. infans Hispania, natus anno Domini 1578. nunc regnat, qui ut felicissime (una cum patre Philippo I I. Hispaniarum Rege potentissimo, ac vere Catholico) vivat, ac Regia sua Maiestate, ad gloriam Dei, Ecclesie, Reique publicae salutem utatur, ardentibus & intimis precamur, & optamus votis.*

*Rudolphus I I. Maximilian II. Imp. filius, natus Viennae 15. Calen. Augusti, anno 1552. Rex Ungariae, & Boemiae: anno 1576. Calendis Nouembris*

☩ 2 Rathis-

*Rathisbonæ Romanorum Rex consecratus, successione  
patris excepit Imperium. Vivit adhuc cælebs.*

*De fratribus, & sororibus agemus in Arbore sub-  
sequente.*

---

*Adiungatur in Gradu IIII. Aniciano X X.  
immediate ante Boetiorum gentem.*

*Flavius Anicius Felix, Anicij Felicij II. alias III.  
Pape filius, cuius mentio extat in duobus antiquis in-  
strumentis Montis Casini: quorum unum excusum est  
post finem Chronici Casinensis fol. 197. alterum inferius  
subijciemus ex MSS. Vxor ei fuit Thrasilla Roma-  
na, ex nobilissima Octaviorum Familia, ex qua geni-  
tus filius Anicius Gordianus.*

**Finis Tractatus.**